

TEMPORA MVSIS FAVSTA

EX

DIGNITATE PROTOSCHOLARCHALI

VNA CVM

CVRA RERVM ECCLESIASTICARVM SUPREMA

VIRO

PERMAGNIFICO GENEROSO MAXIMEQVE  
STRENVO ET AMPLISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO  
CHRISTIANO  
LANGIO

CIVITATIS REGIAE ELBING. PRAECONSULI DIGNISSIMO,

P. T. PRAESIDI SENATVS GRAVISSIMO ET SACRORVM  
HACTENVS CVRATORI SECUNDARIO  
SOLENTISSIMO

INTER PVBLICOS PRIVATOSQVE GRATVLANTIVM PLAUVS

D. XI. AVG. A. O. R. MDCCCLV.

COLLATA

DEVOTISSIME OMINATVR

ATHENAEI DRVSIACI

INTERPRES HVMILLIMVS

IOANNES LANGIVS

GYMN. RECT. P. P. ET BIBL.

---

ELBINGAE, TYRIS NOHRMANNI.



PERMAGNICO GENERO MAGNO  
STRENO ET AMPITIMO DOMINO



Volvitur, o cives, jamjam centesimus annus,  
Ex quo, (quid prohibet meminisse perardua fata!)  
Fortis, quem tellus septem porrecta trioni  
Protulit, ad pacis bellique negotia natum,  
Rex Gothus, intrepidus CAROLVS GVSTAVVS amoena  
Littora Prussorum petuit terraque marique.  
Vix etenim læso versoque in bella cruenta  
Suecorum genio, ferventes colligit iras  
Flammeus & grava succinctus casside Mayors.  
Advolat arctoo fortissima turma tumultu,  
Dira phalanx, prisco gens formidabilis aevo,  
Et dum percipitur saevo stridore tubarum  
Clangor: Suecus adest! hunc, quo non fortior ullus,  
Collectum in terris Pomeranis victor ubique  
Invehit in Scythiam Dux VITTENBERGIUS ipse.

Jam furor ille tonans venit trans aequora Balthae,  
Et tulit arma Gothum CAROLVS per Prussica rura,  
Omneque Sauromatum regnum, nec tempore longo  
Pacis cessabant melliflua ferta profundae,  
Signaque quassatas onerabant bellica terras.  
Ut leo convexos rugiens exporrigit tingues  
Et vultu trepido tumidas ardescit in iras,  
Incursusque sui mordax vestigia figit:  
Sic Gothicos ausus, clypeataque castra gigantum,

Hostilesque globos potuit contundere nostrum  
Nemo, virtutem Sueonum confringere nemo.

Gens equidem Lechia fortissima roborat artus,  
Impatiens greditur, pharetrae leviore sagitta  
Cincta, parat stridore dies noctesque sub armis  
Proelia, sunt illi populi, sunt arma vigorque,  
Sunt Proceres, est auxilium, Ducis atque Supremi  
CZARNECKI virtus roburque: ast irrita cuncta.  
Consilium vanum, vanum tentamen & omne.  
Cassio jam virtus conamine solvitur omnis  
In terris patriis, & velox migrat ad arcton.  
Caeditur aucta cohors, Lechia selecta juventus,  
Sarmaticis sonipes dat terga fugacia turmis.  
Dantur & insignes urbes, arcesque, locique,  
Turrita metropolis, Varsovia, regia sedes  
Suecorum Regi, CAROLO, dum Rex IOANNES  
CASMIRVS, Sueonum cedens ultricibus armis,  
Slesiacos refugus querit finesque domosque.  
Hinc virtus noluit temere irritare potentem  
Hostem Prussorum, & borealis signa leonis  
Formidans, Gothicō victori urbesque manusque  
Legibus acceptis anno proh! tradit eodem.

O annum lugubrem! fortunae tempora dira!  
Mores o rigidos, pugnae quos intulit ardor!  
Cui nec grata salus, nec dulcis ridet imago  
Terrarum, sed qui premit obsidionibus urbes,  
Virtutem pellit, damnique cupidine tangit  
Et cives agitat dubios tenerasque Camoenas.

Quam contra Scythiae, Prussorum quamque penates  
Ac urbis patriae nitidas aedesque laresque  
Praesens & felix, in quo nos vivimus, annus  
Splendidiore spei viridis comitatur honore,  
Dum fartam nobis (utinamque diu augeat!) auget  
AVGVSTVS pacem, terrae decus & bona quaevis.  
Quantus enim splendor virtutis, quanta cupido?  
Qui vigor in rebus, studium quod semper agendis?

Quae sibi promittit mercator commoda prudens?

Quae pietas, quis amor sincerae religionis?

Laetantur cives, populi gratantur ovantque.

Hactenus ast Musae testantur gaudia nulla.

Flent, lugent, nimio suffundunt corda dolore,

Singultuque pias proferunt tristesque querelas.

Nam RHODIVS, RHODIVS - - - Sed fallor? Certa medela

Drusorum est Musis. Sunt gaudia. Vivit Apollo.

Hinc etiam exhilarat Parnassus sidere fausto

Et dum spes surgit stabilita salusque Lycei,

Barbiton intendunt ac implent limina dulci

Pierides cantu. Si causam quaeris, amice,

Dicam: PRAECONSVL, PRAESES SANCTIQUE SENATVS,

LANGIVS, (o gratum fidus, quo cuncta renident!)

LANGIVS, optatum Patriae columenque decusque,

Applaudente DEO terfaustos PROTOSCHOLARCHE

Affumit fasces, suprema cumque sacrorum

Conjungit cura curam quoque posteritatis.

Sic meritis dignam, dignam, DOCTISSIME PRAESES,

Mercedem studiis PROCERES tribuisse putamus,

Qui TE, LANGIADEM, SUPREMVM SACRA GERENTEM,

Et Musis PRIMVM esse suis voluere PATRONVM.

Salve hinc, MAECENAS, qui tanto es nomine dignus,

Blandis auspiciis salve novus, utque solebas,

Rebus ades nostris redivivo Numine felix!

Sic sacer ex voto florebit TE Duce coetus:

Sic spes Pieridum justas, sic vota secunda

Implebis, Musisque recludes tempora fausta.

